



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Aphorismi Confessariorvm Ex Doctorvm sententijs collecti

Sá, Manuel de

Coloniae, 1610

Gratia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41645

tium bona, coloni, arrendatarij, & negotiorum gestores. *Ex Pio Quinto.*

Gratia, vide Delegatus, Dispensatio, Lex.

1 Gratia non expirat morte concedentis, nec ante certificationem de reuocatione.

* *Suarez t. 3. d. 36. sect. 2. propè finem. Nau. conf. 2. de off. Iud. deleg. vide c. si super gratia, de off. deleg. c. si cui nulla. de prae. lib. 6. Nau. c. Placuit. de prae. d. 6. numer. 34. & 162. { Certificationem } *Fum. vers. Gratia. numer. 6. Sanchez. ti. 1. de Mat. l. 3. d. 30. numer. 11. Azor. l. 5. c. 3. q. 6. vide Sayr. l. 7. c. 14. num. 7. de censu.**

2 Litterae fidei publicae, vulgo Saluus conductus, non expirant morte concedentis.

* *Vide Nau. l. c.*

3 Gratia quam Papa facit, committendo tamen Episcopo examen, non expirat illo mortuo.

* *Fum. l. c. num. 5. vide Nau. l. c.*

4 Gratia eligendi Confessorem, aut absolventi à casibus, vel dispensandi, non expirat mortuo concedente.

* *Nau. l. c. nume. 34. neque suscipiendorum ordinum à quolibet Episcopo, Card. in Clem. si. de elect. q. 6. Nau. ibid. & num. 163.*

5 Gratiam praecedentem sequens excommunicatione non aufert.

6 Gratia non perit deficiente causa ex qua concessa, impetrata tamen ex falsa causa, nulla est.

7 Gratia in qua dicitur, Donec voluero; vel Donec aliter ordinauero; vel, Ad beneplacitum Sedis Apostolicæ, durat mortuo concedente. Quod si dicat Papa, ad nostrum beneplacitum, expirat eo mortuo, c. si gratiose de rescr. in 6. & est communis.

* Vide *Fum. l. c. num. 9.*

8 Concesso aliquo, intelliguntur etiã cõcessa omnia sine quib. non potest commodè fieri.

* *L. pen. ff. de vsufr. Nau. l. c. num. 62.*

9 Concessione generali non veniunt insolita concedi, nec quæ quis probabiliter creditur non fuisse in specie concessurus, nisi aliunde constet intentio concedentis, & quidẽ beneficium Principis, nisi alteri id præiudicet; latissimè est interpretandum.

* In specie? *De reg. iu. In generali l. 6. Syl. concessum in sine. Fum. vers. gener. claus.*

10 Omnis expressio falsi mouentis Principem ad gratiam cõcedendam, vitiat; non ita omnis taciturnitas veri; sed solum ea, qua taceatur verum, quod Iura iubent exprimi. *Vide Nau. c. 22. num. 86.*

* Defectus causæ impulsivæ (licet nonnulli contra) non vitiat gratiam, sed finalis. impulsiva est ea, quæ mouet ad faciliùs concedendum (quæ tamen si notabiliter moueret, efficeret gratiam nullam, *Cona. l. c. nu. 5.*) finalis, sine qua Princeps non concessisset. *Conar. li. 1. var. res. c. 29.*

11 In priuilegio nomine maritum comprehenduntur etiam foeminae.

12 Papa non praesumitur concedere exorbitantia, nec velle derogare Iuri, aut praesudicare alicui, nisi exprimat.

* Gratia Principis intelligitur sine tertij praesudicio alio saltem, quam excepto. *c. Super eo. de off. deleg. Nau. consil. 2. de Iudic. num. 3.*

13 Per constitutionem non derogatur viuae vocis oraculis, aut priuilegijs, aut statutis, aut consuetudinib. nisi exprimantur nominatim, & speciatim, etiamsi dicat. Non obstantib. quibuscumque, &c. vt solet. *vide glo. Extra de off. deleg. Sedes Apostolica, & de rescr. c. 6. & 14.*

14 Priuilegium in dubio praesumitur non reuocatum, *vide gl. 23. q. 2. Priuileg.*

15 Priuilegium, aut rescriptum posterius non tollit prius, nisi hoc expressè caueatur in eo, etiamsi dicat, Non obstantib. quibuscumque priuilegijs, statutis, &c. *Vide de rescrip. lib. 6. c. 10. & gl. dist. 18. quoniam. secus est de constitutione posteriori respectu prioris. Vide ibid. de rescr. c. 1. 3. 6. & lib. 6. de constit. c. 1.*

* *Vide Syl. Priuilegium. numer. 10. & Rescriptum. num. 7.*

16 Rescriptum dicitur mandatum Principis faciens ius speciale in aliquo negotio: item commissio causae alicuius, & priuilegium, seu gratia. * *Syl. l. c. num. 1.*

17 Lex reuocans priuilegium non valet ante pro-

te promulgationem in Dicecesi.

18 Priuilegium extenditur ad casus similes.

* Latissimè enim interpretādum, vbi id verba permittunt. *Syl. l. c. num. 3. Fum. num. 5.*

19 Priuilegium non tollit legem, aut consuetudinem, aut ius priuati, nisi exprimat nominatim derogando.

* *Vide Ias. in l. Quomodo Principi. ff. de Constit. Princip. numer. 16. rub. Gl. c. antepen. de cap. monach. lib. 6.*

20 Priuilegia Mendicantium non reuocantur, nisi de illis fiat expressa mentio.

21 Gratia valet in conscientia etiam non expeditis litteris.

* *Vide Fum. vers. Gratia. nu. 3. vers. Priuilegium. num. 10. Syl. eod. num. 14.*

22 Gratiā Papæ surreptio facit nullam, nō autem gratiā Ordinarij: Quod intellige quoad pluralitatem beneficiorum; nec surreptio vitiat nisi id, cuius est causa: excusat autem à surreptione factum ex ignorantia.

23 Impetratio gratiæ, vel beneficij pro aliquo sine eius mandato, valida est.

24 Cum in priuilegio, vel commissione ponuntur multæ causæ, etiam copulatiuè, sufficit vnā, quæ potest illum effectum operari, esse veram.

25 Bulla contra data, aut promissa pro gratia, intelligitur de datis, aut promissis aliqui illicitis.

26 Priui-

26 Priuilegia Religiosorum, quæ abrogantur *Sess. 25. c. vlt. Trid. Concil.* intelliguntur quæ sunt contra Iura, de quibus agitur in præced. capitibus de Regularibus.

27 Quod quis potest ex priuilegio concessio dignitati, aut ex officio, potest alteri committere. Talia sunt priuilegia concessa Prælati Religionum.

28 Priuilegio dato à Papa non possunt Religiosi renuntiare sine eius licentia.

29 Priuilegio sibi cum alijs communi non potest quis renūciare sine Superioris licētia.

**Vide Fum. Priuilegium, numer. 9. Syl. eodem num. 10. §. 8.*

30 Priuilegio tuo gaudet etiam socius tuus, si tibi alioqui est inutile.

**Vide Syl. l. c. num. 6. Fum. num. 12.*

G R E X.

1 **G**Regem porcorum faciunt quatuor, aut quinque, ouium verò decem.

Gula, vide Comedere.

Habitus, vide Fides, Vestis.

Hæreditas, vide Alienatio. Contractus, Debitum, Dos, Legitima, Parentes, Peculium, Testamentum.

1 **D**eficientibus descendētib, & ascendētib. potest quis hæredem instituire

M s. quem